



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

De causa mali. disput. vnica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

A Culpæ. Sicut enim præmium correspondet merito, estque bonum quodcumque propositum, ac respondens merito, sic etiam pœna correspondet culpæ, estque quodcumque malum, quod infligitur, aut permittitur in ultionem ac punitionem culpæ: quare vna culpa, quatenus à Deo permittitur in ultionem alterius, Deo in ultionem subtrahente auxilia, quibus euitaretur, dicitur etiam pœna alterius culpæ. Non ergo necesse est duo illa membra, malum videlicet culpæ, & malum pœnæ, esse opposita, nisi solùm formaliter. Præter illa autem duo membra, datur tertium, quod cum illis diuidit etiam malum in commune, appellaturque confuevit malum, quod est defectus nature, quo pacto priuatio frigoris est malum aquæ. Respectu autem hominis, quia omnes defectus nature, quos patitur, effectus sunt ac pœna peccati originalis, sufficienter diuiditur malum, in pœnam & culpam.

Illud etiam obserua, quodcumque malum, siue transcendens, siue latius sumptum, vt opponitur bono, quod est obiectum voluntatis, dummodò redundet quouis modo in peccatorem, esto fit in brutis, aut rebus ratione carentibus, fortiri posse rationem mali pœnæ, si tamen vel permittatur vel infligatur, propter culpam. Hac ratione incendia domorum, destructiones agrorum, & mortes bestiarum, fortiri possunt rationem mali pœnæ, quatenus in peccatores redundant.

Malum culpa quodcumque maius est caseris malis omnibus que mala culpa non sint.

Circa difficultatem illam, quæ in art. 6. disputatur, sitne malum pœnæ maius malum, quam malum culpæ, dicendum est: Malum culpæ esse maius malum quouis alio, quod culpa non fit. Ratio est, quia cum fit transgressio legis, & voluntatis Dei, est subinde offensiuum diuinæ maiestatis ei displicens: inde verò tantum malum contrahit & tam superioris ordinis in genere mali, etiam si veniale sit, vt nullum aliud malum ei æquari compararique valeat, cum nihil ex suo genere plus vitari debeat, quam Deo displicere, eumque offendere. Itaque malitia peccati, non ex bono ordinis ad rectam rationem, & legem Dei, quod in nobis priuat pensanda metiendaque est, sed ex eo, quod adiunctum habet, nempe displicere Deo, ipsamque offendere, quod supremum est malorum, prout malum obiectum est voluntatis quoad nolitionem: quippe cum id effugi debeat supra omnia alia. Quia ergo peccatum ex hoc capite contrahit rationem essentialiorem supremi ordinis malorum, inde est, vt sicut, quamuis homines in infinitum multiplicentur, numquam æquari possunt Angelo in perfectione essentiali, eò quod Angelus semper sit altioris ordinis: sic etiam nulla alia mala, quantumuis multiplicentur, æquari possunt in malitia minimo malo culpæ & offensæ Dei, quæ altioris est ordinis quoad malitiam. Difficultas, quam tangit Diuus Thomas in 4. art. & quædam alia quæ hoc loco dici poterant, prima secunda copiosè disputantur.

A Causa autem formalis est ipsa malitia, quæ est quoddam ens rationis. Dicitur autem causa effecto quo ens rationis effectum formalem habere potest.

B Cum autem malum non soleat esse intentum ab agente, sed per accidens causarum, vt statim videbimus, non est necesse malum habere causam finalem. Quia tamen malum pœnæ ad puniendum delicta, atque ad bonum iustitiæ potest esse intentum, vt mors furis intenta est à iudice in bonum iustitiæ, & ad pacem conseruandam, & mala pœnæ à Deo sunt intenta in pœnam delictorum, & in bonum iustitiæ, fit, vt bonum sæpe sit causa finalis mali.

C Quod denique ad causam efficientem attinet, dicendum est. Bonum esse causam mali, non per se, sed per accidens: quo pacto agentia naturalia, dum intendunt generationem quorundam entium, efficiunt per accidens corruptionem priuationemque quorundam aliorum, quæ corruptiones, & priuationes mala quædam sunt comparatione eorum, quæ priuantur bonis suis, id est, entitatibus sibi debitis, quibus perficiebantur. Quoniam autem Deus indidit naturam propensam ad generandum, & talem, vt ex directione ipsius primæ causæ generationem intendat, cum qua corruptio, quæ malum est alterius rei, coniungitur, inde est, quòd malum, & corruptio rerum naturalium, reducat etiam in primam causam dirigentem naturam, efficientemque per accidens ea ratione malum, dum per se intendit bonum eorum, quæ generantur, totiusque vniuersi, quod vt perfectum sit, consistere etiam debet entibus corruptioni, & defectui obnoxii. Defectus naturales, quos in pœnam peccati originalis patimur, non solum in causas secundas, quæ dum alia bona intendunt, per accidens in nobis hæc mala efficiunt, sed etiam in primam causam reducuntur, tamquam in id, quod in pœnam peccati originalis iustitiæ originalem, quæ mala ea prohibebat, remouit. Reducuntur etiam in causam primam, quatenus eam rebus naturam indidit, ex qua per accidens sequuntur eiusmodi defectus & mala. Causæ præterea naturales sunt etiam interdum causa per accidens mali, propter superueniens impedimentum, idque totidem modis. quot 1. Physicorum explicauimus monstra ex causis naturalibus per accidens euenire.

D Malum culpæ non reducitur in causam primam, sed in causam secundam, quam Deus suarum actionum dominam per liberum suum arbitrium constituit, indeterminatam ac indifferentem vt bonum, ac malum eligeret. Dum autem liberum arbitrium actum efficit contra legem Dei, per accidens priuat se conformitate ad legem Dei, efficitque per accidens malum culpæ. Dum item actum omittit, quo legi Dei tenebatur se conformare, est etiam causa per accidens priuationis conformitatis ad legem Dei, quam per eum actum habere debebat, & per consequens causa est per accidens culpæ.

E Ex his omnibus constat, vanum esse illorum errorem qui dicebant, duo esse prima principia, alterum bonorum, & alterum malorum: malum namque non habet causam per se, sed bonum causa est per accidens illius. Vide quæ diximus in Concordia quaestione 14. articulo 13. à disputatione 29. tum etiam quaestione 19. articulo 6. & 9. & quaestione 22. articulo 2.

Malum non est necesse habere causam finalem. Efficit tamen in rebus per se bonum causa finalis mali.

Mala que non sunt rei pa, que non in primam causam vniuersi causant.

Malum culpæ non reducitur in causam primam, sed in causam secundam, quam Deus suarum actionum dominam per liberum suum arbitrium constituit.

Malum culpæ non est illorum errorem qui dicebant, duo esse prima principia, alterum bonorum, & alterum malorum.

QUESTIO XLIX.

De causa mali.

DISPUTATIO VNICA.

Mali causa materialis est boni subiecti in quo cernitur.



VM omne malum in bono sit tamquam in subiecto, vt quaestione precedente ostensum est, consequens est, vt causa materialis mali sit bonum: eo modo, quo priuatio subiectum, & causam materialem habere potest.